

potuit benevolentissima voluntas tua, amorque liberalissimus? Num flectitur ac emolitur tanta bonitate? Nonne potius quo hæc erga me major, eo amplius mea augetur ingratitudo, vincens in malo bonum. Ah cor novum crea in me Deus, & spiritum tandem rectum innova in visceribus meis? Ps. 50.

## CONSIDERATIO XII.

### *De Divitiis DEL.*

1. Nec augeri possunt, quia maximæ:
2. nec minui, quia inexhaustæ: 3.
- Nec satis æstimari, quia nobis utilissimæ.

**P. I.** *Augeri non possunt, quia maximæ.* Imaginare tibi omnes thesauros ac divitias, quas Reges ac Principes, nationesque innumeræ per orbem dispersæ, ab exordio mundi possiderunt, ac deinceps ad finem usque possedebunt: Conjice hunc in cumulum, quidquid auti argentique in visceribus terræ, quidquid margaritarum in profundo maris, quidquid insuper lapidum pretiosorum in montibus delitescit; Nonne fateri debet thesauros hos omnes in unum collectos,

ini-

immensos quodammodo esse ? Quam divitem crederes, qui hæc omnia simul possideret ? At nonne quod tot inter hominum miliones dispersum, aut in natura reconditum, Deus tanquam suum possidet, utpote Dominus omnium ? Nonne præterea omnes possibiles thesauros, infinities plures & majores omnibus mundi hujus divitiis, in ætario omnipotentia, & supremi dominii sui ita continet, ut de iis quodcumque & quomodo-cumque ipsi libuerit, pleno jure, & pro arbitrio statuere possit ; ita ut verissime & unice de se dicere potuerit : *Prov. 8. Mecum sunt divitiæ & gloria ?* Tam infinitis autem divitiis quid adjicere poteris, quod infinitas earum non complectatur ? Vastissimum mare, vel unicam ei guttam affundendo, augebis utique : at infinito quid addes, quo augeatur ? Cum quidquid est possibile, sua immensitate absorbeat ? Quod si nunc divitiæ extra Deum positæ ( etsi cætera ejus dominio perfectissime subjectæ ) tantæ sunt, ut numerum omnem excedant, nullamque accessionem partiantur ; quanto minus divitiæ Deo intimæ, ipsi propriæ, ejusque naturam & essentiam constituentes ; ejus scilicet perfectiones, quarum singulæ infinitæ, ac proinde omnem mo-

F § dum

dum mensuramque excedunt? Ut merito de  
 iis a Propheta dici potuerit: *Quis introivit  
 in thesauros ejus?* Baruch. 3. Quis eos vel as-  
 sequi potest, quanto minus augere, sive quo-  
 ad numerum, sive quoad pulchritudinem &  
 excellentiam, sive quoad magnitudinem ac  
 dignitatem? Quod si ne Divina quidem om-  
 nipotentia utcunque infinita, incrementum  
 vel minimum illis dare possit, unde desumet  
 creatura, ex se omnium indiga, quo augeat  
 substantiam immensam, æternam, infinitam,  
 illamque locupleter: cum ne habeat quidem  
 virtute propria, unde sibi aut alteri dare pos-  
 sit vel minimum perfectionis gradum, ad hoc  
 unum obligata, ut suum conditorem sum-  
 misse venerans agnoscat, ac profireatur se ni-  
 hil esse aut posse, nisi per ipsum, ejusque be-  
 neficio: ac ne sufficientem quidem esse ad  
 comprehendendum Majestatem adeo subli-  
 mem, abyssum omnium mirabilium, cen-  
 trum omnium divitiarum ac bonorum, unum  
 & simul omnia, complectentem quidquid  
 comprehendi potest? Ut proin quidquid ul-  
 tra id, quod in se continet perfectionis, in  
 suis ideis concipere, aut verius fingere po-  
 test intellectus creatus, & plane impossibile  
 sit, & mere imaginarium; Deum ipsum tam  
 parum



parum magis perfectum reddens , quam magis Deum : cum major fieri nequeat , quam sit , utpote in omni genere maximus , ditissimus , infinitus . Quod si proinde vas ex omni parte plenum repleti amplius nequit ; omne & plenissimum bonum quomodo in ratione boni augeri amplius poterit ? Quam ergo immensæ sint oportet eæ divitiæ , quæ suapte natura ob infinitam amplitudinem suam , nec in magnitudine aut multitudine , nec diversitate aut perfectione vel minimum accessum aut incrementum admittunt ? Hæc dum perpendis anima mea , quam exile tibi videri debet , ac prope nullum , quidquid possides , maxime cum nihil habeas proprium , nisi miseras & infirmitates ; nihil tibi dare , nulla in te tibi opitulari , omnia vero a sola liberali Dei manu expectare debeas . Ipsum desiderium augendi bona tua sive corporis sive animi , nonne abunde te convincit tuæ indigentia ? Quid enim appeteres , si tibi non deesset , quod appeteris ? Et heu ! quam vana & stolidæ sæpe vota tua , dum quæris ea , quæ te beatum reddere nequeunt ! Exigua illa bonorum portio , quæ tibi dum vivis , obvenire potest , quomodo veram tuam felicitatem constituet ? Sola bona quæ Deum , ejusque

perfectiorem ac beatitudinem constituunt, solæ pariter divitiæ in animo sitæ, te beatum reddere possunt: quidquid extra ista quæris, felix nunquam eris; quod felix nemo esse possit, nisi eo, quo Deus felix est. O quando Deus meus! ad solidas has & perennes divitias animum convertam? cur umbras & inanes sector imagines, quæ oculos ludificant, & animum ab æternis avocant? Tu unus, & simul omnia: quæ proinde extra te, quid nisi somnia? &c.

P. 2. *Non minui, quia inexhausta.* Quam parum divitiæ Divinæ augeri, tam parum quoque minui possunt. Vena hæc unica est omnium divitiarum, quæ in mundo inveniuntur: cum Deus utpote author omnium, in omnes creaturas effuderit divitias bonitatis suæ. At vena simul est ditissima & copiosissima, semper plena, imo redundans; ut nihil illi decedat, quantumcunque ex ea hauseris. Aurifodinas utcunque divites, paulatim eviscerabis: quod enim reddunt, simul amittunt; nihil retinentes tandem, nisi cava, tristesque lacunas, testes thesauri, quem avaris scrutatoribus suis rel querunt. Ipsum vastissimum mare ( licet fontibus & rivis innumeris per orbem dispersis, copiose suppeditet

tet aquas, quas e sinu suo promunt) desin-  
 ret pariter & penitus exhauriretur, nisi flu-  
 vii eadem liberalitate illi redderent, quod  
 ab eo acceperunt, inque illud aquas eadem in  
 copia refunderent. At nihil minus in Deo,  
 divitiarum omnium fonte: his eam adju-  
 mentis haud quaquam indiget; nihil ipse ex  
 omnibus recipit, quæ donat; quin tamen  
 immensum illud mare bonorum minuatur  
 unquam aut exhauriatur, imo minui aut ex-  
 hauriri possit; idque licet innumeros mun-  
 dos conderet, & in omnes divitias suas abun-  
 danter dispertiret; semper idem, eodemque  
 modo dives, imo æque dives in tempore dan-  
 do, quam fuerat ab æterno non dando. Alia  
 sane hac in re Dei, quam hominum conditio  
 est. Possidebat olim Rex Salomon tantam di-  
 vitiarum copiam, ut opes universæ terræ in  
 unam Hierosolymam viderentur confluxisse,  
 adeo, ut aurum lapidum tantum non co-  
 piam æquaret. At quo divitiæ tam immensæ  
 pauculos post annos non defluxere; cum ut  
 suam sustineret dignitatem, onera tandem &  
 vectigalia gravissima subditis suis imponere  
 coactus fuerit? Ita dilabitur, quidquid divi-  
 tiarum humana aut solertia, aut avaritia col-  
 ligit. Verum Deo quid divitiarum perire po-  
 test,



test, cum vel in thesauro solius omnipotentia suæ, omnes posibles divitiis, in essentia vero sua thesaurum infinitum majestatis, pulchritudinis, sanctitatis, independentiæ, dignitatis, magnitudinis, bonitatis, sapientiæ, omniumque Divinarum perfectionum reconditum habeat, quo sur appropinquare nequit, quemque nec tinea corrumpere, nec aras consumere; nec casus adversus imminuere unquam potest; eo quod Deus excellentia naturæ suæ omnibus casibus non solum superior sit, sed & fortunam & casus moderetur, iisque modum ac limites statuatur. Solius creatæ naturæ conditio est, ut nihil in se, nihil extra se possideat, quo non spoliari possit, ex se nec valens acquirere, quod non habet, nec conservare, quod habet; semper indigens, cum infinitis rebus careat; semper amittens; cum viis ac modis infinitis, quæ possidet, dilabantur; ideoque uti nunquam secuta de suis bonis, ita semper inquieta de eorum conservatione. Ah amantissime Deus! cum in thesauris tuis tantam bonorum infinitatem, ac abundantiam contineas, ut nec pauperior fias dando, nec ditior non dando, nonne merito ad infinitum hunc thesaurum confugio, ut ex eo locupletem ani-

nam meam, omni ex parte indigam, bonisque spiritualibus penitus destitutam? Nolo des mihi divitias temporales, quæ animam inflant, & in interitum mergunt: malo pauper esse cum unigenito filio tuo, quam sine illo dives; sciens ipsam in divitiarum amatores fulminasse sententiam mortis. At quid obstat quominus in animam meam effundas divitias tuas cælestes, quibus abundas, quin tibi prodesse possint? Hasne velis Deus meus in ærario tuo inexhausto veluti otiosas tota æternitate permanere; quin in utilitatem imo necessitatem animæ meæ, iis vel maxime indigentis, expendantur? O cum usque adeo jusseris, ut ex superfluis succurrerem proximo indigenti, in quem certius ac utilius thesauros tam immensos gratiarum, tibi superfluos, profundes, quam in omnium maxime indigum, cum Lazaro ante fores misericordiæ tuæ prostratum, & a liberali manu tua eleemosynam expectantem? Miserere igitur paupertatis, & indigentiaë meæ, animamque hanc vacuum & inanem reple bonis tuis. Quod tibi superfluum, mihi utile, quo tu sine damno carere potes, mihi omnino necessarium. O si vel micas de mensa tua cadentes colligere mihi liceret? &c.



P 3. *Non satis estimari, quia utilissima.*  
 Verum anima mea! an divitias bonitatis & misericordiae Divinae non experitis? Nonne profusior est ejus in te benignitas, quam mereris? Nonne potius thesaurus bonorum suorum, quem tibi liberaliter impendit, & in momenta singula auget, te aliquando maxima ingratitude arguet, & condemnabit? Nonne vita tua favoribus caelestibus parum respondens, & abusus continuus gratiarum Divinarum te iis ipsis, quibus frueris beneficiis, omnino indignum reddunt? Certe ex parte Dei nihil tibi deest ad proprium profectum, & augenda animae tuae bona: fons est jugiter manans fluente gratiarum; si nihilominus egeas, sitiasque, nonne tuus est defectus, cum ipse liberaliter invitet omnes: Joan. 7. *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat?* Haud quaquam sibi soli dives est Deus, minus (uti avaritiae nostrae proprium est) sibi colligit, suaeque congregat in horrea; cum ipse nullius egeat, nec a quopiam aliquid praestoletur: sed potius teste Apostolo, dives sit in omnes, non solum divitias, quas in thesauro omnipotentiae suae collectas habet, inter homines dispersiens; sed &, quas filius ejus unigenitus proprio labore imo sanguine suo

suo sibi comparavit: quas omnes pariter bo-  
 no nostro devover, instar parentis optimi  
 præciosissima quæque, omniaque sibi cha-  
 rissima impendens, in bonum & utilitatem  
 filiorum suorum. Poterat certe Deus (quin  
 unquam tui recordaretur, suaque in te con-  
 ferret beneficia) sibi vivere, suisque frui in-  
 finitis divitiis, ac abundantia felicitatis suæ;  
 quod eas ex se ipso suaque essentia in omni  
 plenitudine ac perfectione possideat; ut spe-  
 rare a te nihil omnino potuerit: adhæc ni-  
 hil invenire poterat in te, quod eum moveret  
 ad tibi benefaciendum; quæ enim in nihilo  
 tuo amabilitas, qua alliceretur ad tui amo-  
 rem; quodve meritum, quo invitaretur ad  
 ærarium suum tibi aperiendum? Sed quasi  
 tæderet eum; quod solus in se felicissimus es-  
 set, nec haberet, in quem erogaret bona sua;  
 voluit & te participem esse thesaurorum suo-  
 rum; impendendo in tui obsequium omni-  
 potentiam suam, qua te, & infinita alia  
 propter te, tuumque commodum condidit:  
 suam pulchritudinem, quam in te expressit;  
 suam sapientiam & providentiam, qua te ju-  
 bernet & dirigat; suam bonitatem qua te  
 conservat; suam liberalitatem, qua gratis  
 continuis te cumulat, quin unquam vel mo-  
 mento

mento cesset a benefaciendo, aut in tuo fati-  
 garetur obsequiō; idque nullo suo commo-  
 do, nullo precedente tuo merito, citra omnem  
 ex parte sua obligationem, pure liberaliter  
 & gratuito, quin & sæpissime cum proprii  
 honoris dispendio, ob peccata & ingrati-  
 tudinem tuam. Tanta, tamque gratuita in te  
 liberalitas, tam multiplicia quibus te quasi  
 obvallat, beneficia, nonne convincere te de-  
 bent, haud quaquam otiosas in Deo esse im-  
 mentas, quibus circumstuit, divitias; easque  
 magis redundare in tuum commodum, quam  
 tuæ possint cedere in commodum ipsius:  
 cum a te nihil expectare possit, præterquam  
 laudem aliquam ac gloriam accidentariam,  
 sibi extrinsecam: qua nec ditior, nec felicitior eva-  
 dere possit: cum tu e contrario ex ærario ip-  
 sius semper pleno, si volueris, haurire in-  
 dies possis, non solum ad necessitatem, sed  
 & abundantiam, summas scilicet, immor-  
 tales, ac perennes divitias, tota aternitate  
 felicissimum te reddentes. O clementissime  
 Deus! quandonam mihi unquam occlusisti  
 fontem istum perennem gratiarum tuarum?  
 Nonne quotidie ex eo haurire mihi licuisset;  
 nisi ipsemet noluissem? Nonne desiderium  
 tuum benefaciendi mihi multoties declarasti,  
 in-



invitando me ad venam aquarum viventium:  
*Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non  
 habetis argentum, properate... Venite, emi-  
 re absque argento, & absque ulla commuta-  
 tione.* Il. 55. Nonne usque adeo indigno, ne  
 dicam invito, indies obtrudis beneficia tua,  
 ut vel sic nolentem locupletes donis tuis? Ah  
 utinam tanto flagrare desiderio recipiendi,  
 & conservandi thesauros & gratias tuas, quan-  
 to tu flagras eas mihi donandi! at tantum ab-  
 est, ut eas serio desiderem, ut potius illas ti-  
 meam, fugiamque, ne cogar animum avel-  
 lere a rebus creatis, quarum amore totus in-  
 fatuatus sum; tantum non similis impiis il-  
 lis: *Jobi 21. Qui dixerunt Deo: Recede a  
 nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.*  
 O quando tandem cedam tot, tamque vehe-  
 mentibus motibus, imo impulsibus gratiarum  
 tuarum, ut non instar aspidis sui dæ obturem  
 aures meas, ne audiam, quid loquatur  
 in me Dominus! &c.